GRAHAM (~~G.~~) W.

Dissertatio medica inauguralis quaedam de Hepatitide acuta atque chronica. 1820

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM DE

HEPATITIDE

ACUTA ATQUE CHRONICA

COMPLECTENS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM DE

HEPATITIDE

ACUTA ATQUE CHRONICA

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GUALTERUS GRAHAM,

Scotus,

CHIRURGUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiae Typographus.

MDCCCXX.



ARCHIBALDO DICKSON, Armigero,

DE HOUSEBYRES,

HOC OPUSCULUM,

OB BENEFICIA IN EUM COLLATA,

ATQUE OB HUMANITATEM INSIGNEM,

AMOREMQUE SCIENTIAM GENERALEM

PROMOVENDI ANXIUM,

RESPECTUS ET OBSERVANTIAE SUMMAE

TESTIMONIUM PEREXIGUUM,

PIIS VOTIS

DAT DEDICATQUE

GUALTERUS GRAHAM.

GEORGIO POTT,

DE DOD,

ARMIGERO,

QUI ANIMUM MULTA DOCTRINA EXCULTUM

ET NOTITIA LIBERALI IMBUTUM,

CUM CORDIS BENEVOLENTIA MORUMQUE

SUAVITATE INSIGNI POSSIDET,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMI

BENEFICIORUM

HAUD IMMEMORIS

PIGNUS UTCUNQUE EXIGUUM,

SUMMA OBSERVANTIA

OFFERT

AUCTOR.

801

Dr Turnbull
with the Compliments
and best wishes of
the Author.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE.

PROOEMIUM.

INFLAMMATIONEM jecinoris haud minus quam aliarum partium internarum, extitisse temporibus quidem remotissimis minimè dubitandum est. Apud antiquos etiam doctissimos atque peritissimos morbi interni saepe male intellecti erant; nam illis mortuorum corpora incidere atque inspicere non licebat. De multis morbis igitur praecipuè internis cognitionem valde imperfectam habuerunt; et verisimile est, ut in medicina exercenda saepe

de tramite recto erraverint, aliud vitium visceris interni pro alio nube tenebrosa circumdati habentes. Hinc de Hepatitide haud raro errabatur. Error hujusmodi tamen non temporibus antiquis solum, verum nostris etiam, in quibus scientiae lux tantum effulget, communis est. Progressu temporis vero homines primò structuram anatomicam animalium, deinde generis humani scrutari et excolere incipiebant. Medicinam igitur morbis multò certius feliciusque administrabant. Functiones hepatis imprimis medicorum attentionem sibi converterunt. Plurima ejus mala bili atrae, vel quodammodo vitiatae, solitò attributa sunt. Structura ejus inflammata, laesa, et suppurata, aut morbis aliter perdita, diu latuit; ideoque Hepatitis regionibus tropicis solummodo peculiaris existimata est. Temporibus vero recentioribus plurimum scientiae nostrae de hoc viscere debetur. Methodus enim hodierna mortuorum corpora incidendi scrutandique plurima mala prius parum suspecta in lucem multò clariorem protulit, at-

que scientiam de morbis nostram plurimum auxit.

Quanquam Hepatitis, ut inter omnes constat, in regionibus terrarum calidis multò frequentior sit, quàm in frigidioribus; in his tamen non adeo rara est, ut vulgo putatur: ubi enim luxuria et desidia abundant, et incolae vino et liquoribus fermentatis saepius dediti sunt, ibi hepatitis omnibus suis malis stipata praevalet.

DE DEFINITIONE.

Hepatitis sub formis variis se ostendit, quae ad duas a Nosologis redactae sunt, acutam nimirùm et chronicam. Acuta his verbis definitur:—

'Pyrexia; hypochondrii dextri tensio et 'dolor, saepe pungens pleuritici instar, sae'pius obtusus; dolor ad claviculam et sum'mum humeri dextri; decubitus in sinistrum

'latus difficilis; dyspnoea; tussis sicca; vo-'mitus; singultus.' *

Haec definitio morbum, cum formam ejus gravissimam induerit, optimè repraesentat. Interdum vero lentius, tardius, et occultius, accedit; signaque dat multo minus evidentia: quae formam chronicam designant his verbis definitam:—'Haec saepe nulla quibus 'dignoscatur signa praebet; aliquando tamen 'eandem adesse suspicari potest, ex Hepatiti-'dis causis quibusdam praegressis, ex sensu 'quodam plenitudinis et gravitatis in hypo-'chondrio dextro, ex doloribus plus minusve 'pungentibus in eadem parte subinde per-'ceptis, ex dolore quodam a presso hypo-'chondrio dextro, vel a decubitu in latus si-'nistrum sentito, et denique ex pyrexia levi-'ori cum dictis signis subinde infestante.' †

---

* Culleni Synopsis Nosologiae, p. 14.

† Ibid. p. 15.

DE HISTORIA.

Definitio haecce ad morbi conceptionem nobis justam communicandam bene aptatur, cum dolores vel molestia in hypochondrio dextro sita est. Signa autem, partibus jecinoris remotis affectis, longe inter se distant. Signa enim speciei chronicae aliquando sunt adeo dubia et fallacia, ut morbus in ventriculo, aut intestinis, aut dorso, aut lumbis, aut imo ventre, aut inguinibus inesse videatur. Si in ventriculo sit molestia, fastidium cibi, aegritudo magna, languor, lassitudo, vires multùm imminutae, vomitus biliosus, et dolor epigastrii sub pressu acutus, plurimum urgent. Si in intestinis, dolores vehementes regionem aliquam abdominis, nunc umbilicalem, nunc iliacam sinistram aut dextram, nunc lumbarem sinistram aut dextram infestant, atque desiderium imperiosum frequens faeces reddendi, sedendi, et deorsum invitè

graviter premendi inferunt. Si in dorso et lumbis, signa fere omnia lumbaginis excruciant. Si in imo ventre et inguinibus molestia sentiatur, vitiūm uteri aliquod indicari visum est. Si molestia aut dolor circa humerum unum alterumve sit, Rheumatismum suspicari licet.

Hujus signorum diversitatis rationem tantum absimilium inter se difficillimum reddere videtur. Procul dubio tamen, in consensu nervorum nititur; nam hepar prope centrum, nempè, plexum coeliacum seu solarem, unde plexus nervorum varii emittantur, situm est. Adhaeret quoque septo transverso, et consensum inter nervos ejus, intercostales quosdam, et suos, intimum constituit. Si pars ejus gibba septo transverso proxima inflammetur, singultus, tussis sicca, et dolor ad claviculam et summum humeri dextri moventur. Si longius sinistrorsum tendat inflammatio, summum humeri sinistri solùm, aut simul cum altero, doleat. Sensus enim morbidus nervo

phrenico dextro, aut sinistro, aut ambobus simul, pro situ inflammationis, communicari potest. Nervus phrenicus cum aliis nervis, qui humero et scapulae disperguntur, in colo committitur, sensumque morbidum iis partibus etiamsi remotis transmittit: sensus enim est nobis apud extremitates nervorum solummodo. Si lobus hepatis sinister praecipue inflammetur, ventriculus imprimis laborat; dolor aut molestia in dorso adversus epigastrium et in hypochondrio sinistro perpetua est, et signa Dyspepsiae, cum vomitu bilioso frequente adsunt. Splen quoque saepius inflammatione afficitur. Si lobus dexter laboret, vultus pallidus, plumbeus, et haud raro subflavus est; bilis enim in ductibus obstructa absorbetur; humores colore luteo tingit, icterumque facit. Si pars hepatis prope ad vertebras inflammetur, sensus morbidus irritationem intestinis aut tenuioribus, aut crassis dat; et Diarrhoeam cum tenesmo, aut potius desiderium imperiosum et intolerabile sedendi, aut faeces deprimendi, movet. Si pars

posterior inflammatione lenta afficiatur, dolor lumbos, sacrum, et imum ventrem, vel inguina, pro consensu inter nervos jecinoris eosque harum partium, infestat. Itaque medici in errorem tracti, Dyspepsiam, Diarrhoeam, Rheumatismum, Lumbaginem, et vitia uteri, adesse falso crediderunt; cum morbus esset verè Hepatitis chronica.

Cum signa gravia sunt, morbus cursum brevi facit, atque resolutione, vel suppuratione, terminat. Si pyrexia, dolor lateris pungens, spirandi difficultas, vomitus et singultus remediis cedant, resolutio subsequitur. Sin autem febris ardeat, arteriae vehementer pulsent, latus dextrum et humerus doleant, et signa urgentia remediis idoneis cedere recusent, suppuratio inflammationi supervenit; cujus accessio horroribus subinde, signorum praecipuè doloris remissione, et pulsu leniore, tardiore et molliore denotatur. Quò gravior inflammatio, eò copiosior citiorque insequens suppuratio est.

Interdum tamen signa ferme nulla inflammationis prius se ostenderant, quàm inspectio jecinoris post mortem aegri abscessum unum alterumve puris plenum detexit: idque in Europa nonnunquam, multo saepius autem in India et orientali, et occidentali, visum est. In iis casibus inflammatio substantiam internam hepatis corripuerat, quòd dolore solum obtuso, sive molestiâ adeo levi, ut attentionem aegri parum, aut non omnino, excitet, comitatur. Caeterum, vultus pallidus, vel plumbeus quod ad colorem, quaedam affectio ventriculi aut intestinorum morbida, languor generalis, et hebetudo oculorum, in morbo nostro declarando adjuvare possunt. Praeterea, morbo ingravescente, calor major praesertim vespere, somnus vix placidus vires parum reficit; aeger marcescit, et brevi moritur; nisi pus exitum aliquò inveniat.

Exitus varii sunt, quibus pus evacuetur, pro parte hepatis suppuratâ. Si septo transverso proxima suppuratio sit, pus gradatim

diaphragma corrodit, et, adhaesione inter pulmones idque factâ, in ramos bronchiorum irrumpit, atque per os tussiendo et exscreando ejicitur. Si pars suppurata costis proxima sit, inflammationem externam excitat, quae in phlegmonen abeat, qua pus extrinsecus evacuatur. Si pars intestino colo proxima suppuretur, pus, adhaesione inter colon et hepar prius facta, in colon infunditur, et simul cum faecibus dejicitur. Sin autem adhaesio non facta esset inter septum transversum et pulmones, aut inter illud et colon, pus vel in cavitatem thoracis, vel abdominis, erumpere potest, et Febrem Hecticam augere, mortemque cito inferre.

Cum signa Hepatitidis acutae haud ita gravia et molesta sunt, ab aegro diu despicienda, et dosibus paucis medicamenti purgantis, veluti Submuriatis Hydrargyri, ut sibi visum est, debellanda. Res tamen in pejus ruunt; nam etiamsi dolor lenior evadat, hepar ipsum in magnitudine increscit. In exemplis qui-

busdam Hepatitidis jecur molem adeo grandem acceperat, ut plerasque regionum abdominis, haud absimile utero gravido postremis mensibus, occuparet. Contrà, exempla haud pauca subinde accidunt, in quibus moles ejus naturalis imminuitur. Quarum conditionem priorem animadvertere non difficile videtur; posteriorem verò difficillimum est: nam nullus dolor aut molestia hypochondrii dextri, nullum hepatis ipsius incrementum, nulla febris adest morbum verum designare. Adsunt plerumque quidem pallor vultus, macies, obstipatio, et plurima signorum Dyspepsiae. In hac conditione jecinoris, mole ejus imminutâ, est, ut scirrhus hepatis inveniatur. Attamen in vita aegri scirrhum, nisi adeo extenuatus sit, ut hepar per abdominis parietes sentire possimus, discernere difficillimum est propter molis imminutionem. Cum hepar durum est, et vasa ejus obstructa, scirrhosum dicimus. Hoc non solum accidit, cum moles hepatis imminuatur, verum etiam cum multùm auge-

atur; tum enim duritiem laevem, saepius verò superficiem in eminentias duras seu nodos corrugatam sentire possumus.

DE CAUSIS.

Inter omnes constat Hepatitidem in regionibus calidis multo frequentiorem esse quam in frigidioribus; hinc calor caeli inter causas Hepatitidis vulgo enumeratur. Calor motum sanguinis accelerat, et volumen ejus quoque paululum auget. Viscera igitur plus sanguinis solito recipiunt, atque ob ejus majorem impetum et volumen auctum, inflammatione facilè corripiuntur. Hepar, cum sanguinem adeo multum per se fluentem habeat, saepissimum omnium in inflammationem conjicitur: quo enim plus sanguinis, et quo major ejus impetus in glandula, vel viscere quidem aliquo, est, eo facilius inflammatione afficitur. A medicis quibusdam dubitum est, an calor per

se Hepatitidem movere possit.* Quanquàm enim calor ipse hepatitidem excitare non valeat, proclivitatem tamen ad morbum recipiendum corpori dat.

---

* 'For the last eighteen months, in the hot season, the men were daily marched two miles to the fort of Bombay, were much exposed to the sun on the garrison duty, and in the heat of the next day, were marched back to Calaba. Yet it appears, by the tables of both years, that the hot months were, *caeteris paribus*, the most healthy. If heat be noxious, something in this instance obviated its effects. Was this exercise? An instance in point, though not within the prescribed date, will illustrate this. In June and July 1801, the degree of heat, on a march of 130 miles over the sandy desert of Thebes, and on the banks of the Nile in Upper Egypt, was extreme. I have seen the thermometer, in a soldier's tent, at 118°. The soldiers had, at the same time, to combat with severe duty, from being without native followers; yet, under all these circumstances, the health of the troops was equal to what it had been at any former period in India. *Heat of itself, then, does not appear to be the principal cause of the prevailing diseases.'*—*Vide* Edinburgh Medical and Surgical Journal, Vol. I. Dr M'Gregor on Diseases of 88th Regiment in Bombay.

Tempestate calidissima regionum tropicarum calor caeli interdiu intolerabilis est, dum noctu frigus, nebulae, et ros, maxima sunt; alternationes igitur caloris et frigoris cum humore pro causa Hepatitidis frequentissimâ habendae sunt. * Doctor Mosley observat in libro suo de morbis tropicis, ' cold is the ' cause of almost all the diseases of hot cli' mates, to which climate alone is accessory.' In regione nostra temperata frigus subitò corpori praesertim fatigato, vel exhalatione per cutem madefacto, applicatum, causa est communis Hepatitidis.

---

* Doctor Macgregor dicit, ' The mercury had an extraordinary wide range, from 68^0 to 130^0 in the open air. Such a variation of climate in one day, and in one situation, we expected would have been attended with proportional sickness. The mornings were foggy, raw, and cold. From seven to ten in the morning, the wind was hot, dry, and scorching. The middle of the day was refreshed by the prevailing wind; but the evenings were very damp, and much dew fell. More cases of Hepatitis appeared than in either of the two former months.'

Ebrietas, seu vinorum liquorumque spirituosorum abusus in omnibus terrarum regionibus, causa frequens est Hepatitidis. Modus eorum operandi obscurus est; vinum autem, spiritus, et liquores alii fermentati, stimulum systemati fortem excitant, qui plurimùm intenditur naturâ eorum calefaciente et acri. Hepar, ut omnibus bene notum est, magnam sanguinis copiam accipit; hinc, cum res calefaciens et acris in sanguine existat, effectum in hoc viscus prae caeteris insignem producit. Itaque Hepatitis ex necessario hunc majorem impetum et acritudinem ex liquoribus spirituosis derivatam sequitur.

Vulnera, vel injuriae quocunque modo hepati illatae, Hepatitidem acutam movent. Accessiones morbi priores etiam alteri dant proclivitatem.

Alii morbi, qui impetum sanguinis augeant, qualitatem ejus fortasse mutent, sicuti febres intermittentes, et quidem omnes febres idio-

pathicae, Pneumonia, Dysenteria, Diarrhoea, Cholera, injuriae capitis, &c. Hepatitidem acutam movere videntur. De variis aliis causis, quae generaliter inflammationem aliarum partium incitant, mentionem facere potuimus; sed, quae jam dictae sunt, praecipuae et maximè insignes sunt, eoque sufficiant.

DE DIAGNOSI.

Hepatitis acuta nonnunquam Pneumoniam, Gastritidem, Enteritidem; chronica, Dyspepsiam, Phthisin Pulmonalem, Diarrhoeam, et Colicam simulat.

A *Pneumonia*, Hepatitidem acutam situ doloris, decubitu in sinistrum latus molesto, inspiratione plenâ dolorem vix intendente, tussi sicca, et vultu, distinguere possumus. In Pneumonia situs doloris altior est, decubitus in latus affectum facilis, dolor spiritu

inspirato gravior, sputum copiosius, saepe sanguini mistum.

A *Gastritide* Hepatitis discernitur dolore hypochondrii dextri sub pressu, pulsu pleniore et fortiore, tussi sicca, et injectis vomitum non protinus cientibus: dum in Gastritide pulsus parvus, debilis et frequens est, et dolor epigastrii sub pressu intolerabilis.

Ab *Enteritide* Hepatitis dignoscitur dolore abdominis pungente, circa umbilicum torquente, alvo adstricta, et viribus multum imminutis, quae Enteritidi adsunt.

A *Dyspepsia* Hepatitis chronica dignoscitur dolore vel molestia non hypochondrii dextri sed epigastrii, decubitu in utrumque latus facili, et vultu pallido et naturali colore: saepe tamen Hepatitis Dyspepsiam inducit,

Phthisis Pulmonalis a Hepatitide chronica distinguitur dolore thoracis, tussi frequente,

sputis, et febre hectica; dum molestia inferior, moles hepatis aucta, vultus plumbeo colore, affectio ventriculi, vel intestinorum Hepatitidem indicant.

Diarrhoea distinguitur ab Hepatitide chronica dejectionibus frequentibus mucosis sine torminibus et tenesmo; in Diarrhoea tamen ex Hepatitide oriente dejectiones materiae atrae albidis mistae, tormina, et tenesmus, vehementer vexant. Interdum desiderium sedendi deprimendique imperiosum sine faecibus reddendis etiam adest.

Colica distinguitur historiâ priore morbi, et causis, et nulla affectione hypochondrii dextri. Hepatitidi dolores colici superveniunt, et brevi durant.

DE PROGNOSI.

Prognosis Hepatitidis et acutae et chroni-

cae de gravitate morbi, constitutione et aetate aegri, et caelo, in quo vitam diu degerit, plurimùm pendet.

Si remedia idonea in Hepatitide acuta ritè et tempestivè adhibeantur, et si vires et constitutio aegri non fractae fuerint, prognosis fausta pronunciari potest. Tum enim indicia febrilia, dolores, et eorum comites, brevi tempore evanescunt. Si verò remedia vel non tempestivè vel timidè adhibita fuerint, praesertim si vires aegri intemperantia, aut vicissitudinibus caeli calidi multum quassatae essent, prognosis in ambiguo est.

Cum autem morbus et intemperantia, et caelo calido, et aetate provecta aegri, inveterascit atque exasperatur, remediis optimis et ritè et tempestivè exhibitis obsistit, et semper in pejus ruit. Abscessus puris pleni in substantia hepatis, aliquando in partibus ejus diversis, formantur; quod febrem hecticam cum omnibus suis malis concitat, aegrumque

concidit. Interdum fabrica hepatis ita perditur priore inflammatione, mole sua aucta; vel duritia aut scirrho et imminutione ejus, ut Hydrops sequatur. Itaque in his exemplis prognosis infaustissima est.

DE INCISIONE CADAVERUM.

Peritonaeum, quod hepati tunicam dat externam, interdum inflammatur, et tum ex superficie ejus lympham coagulabilem effundit, quae hepar partibus contiguis conglutinat. Color ejus quoque purpurior est, moles multo major, et durior, libras octodecim, vel viginti quatuor usque pondere faciens; interdum verò praeter naturam ad uncias viginti pondere imminuta, et racemo haud absimilis erat.* Cum moles plurimùm augetur, saepe abscessus varios continet puris plenos; dum

* Audi Praelect. Professoris Gregory.

in aliis partibus duritiem et scirrhum exhibet. Cum durities ductus hepaticos premit, aut aliter laedit, Icterum movet. Cum moles hepatis morbo imminuitur, textura ejus dura et scirrhosa est, et color cinereus seu fraxineus. Tumores quoque exigui, inter se contigui, rotundi, superficiem hepatis ferè totam occupant, eamque undique inaequalem reddunt. Hi ex materia pellucida, subflava et fusca constant.

Interdum jecur praeter solitum molle visum est; et in substantia illa Hydatides detectae sunt, etiamsi nulla signa ante mortem praesentiae earum indicâssent.

DE CURATIONE HEPATITIDIS ACUTAE.

Methodus hujus speciei medendae ab altera haud parùm differt, nam, ut Celsus* apte

* Vide librum primum.

dicit, ‘ non eadem omnibus, etiam in similibus ‘ casibus, opitulantur. Quinetiam morborum ‘ in iisdem hominibus aliae atque aliae pro- ‘ prietates sunt; et qui secundis aliquando ‘ frustra curatus est, contrariis saepe restitui- ‘ tur.’ In hac specie acuta consilium nobis est primum inflammationem superare, prius-quam structuram jecinoris perdat.

Ad hoc consilium explendum, ad missionem sanguinis copiosam; deinde ad emplastrum vesicatorium toti parti dolenti, seu regioni hypochondrii dextri, applicatum; tum ad purgantia, quorum Submurias Hydrargyri pars est, decurrere oportet. In sanguine abstrahendo gravitatem signorum, constitutionem, habitum, atque aetatem aegri, in animo pendere debemus. Usu tamen docemur multo melius esse quantitatem sanguinis amplam, satis ad morbum superandum, semel detrahere; quàm minores quantitates variis temporibus elicere. Pulsus nos in quantitate elicienda justa dirigit; nam quamdiu plenus et durus

perstat, tamdiu sanguis, aegro super stratum reclinato, fluere potest; cum verò pulsus multo frequentior, debilior, et intermittens evadit, satis est, rivulus sanguinis ex vulnere brachii extemplò sistat.

Post sanguinis missionem emplastrum vesicatorium amplum sedi doloris applicandum est, ut etiam plus morbum debellemus inflammatione extrorsum ducenda, vasaque partis turgida ex humoribus exonerando.

Medicamentum purgans interum exhiberi debet, humores deorsum ad intestina versus ducendi, impetumque sanguinis etiam minuendi gratiâ. Ad hoc tamen efficiendum dosis larga, et, nisi intra horas tres alvus respondeat, repetita prorsus necessaria videtur. Medici inter se non constant, quaenam purgantia ad Hepatitidem optima sint. Alii purgantia Salina, alii Mercurialia utilissima esse contendunt. Cum Celso* in hoc consenti-

* Vide librum primum.

mus, qui dicit 'Eo quoque disci, quod qui 'diversa de his senserint, ad eandem tamen 'sanitatem homines perduxerint.' De hac re nobis persuasum est, Submuriatem Hydrargyri cum pulvere Jalapae, vel Extractum Colocynthidis compositum cum Submuriate Hydrargyri, in Hepatitide acuta; et sales medios potius in chronicâ, efficacissimum esse ad alvum liberè ducendam.

In quibusdam irritabilitas ventriculi adeo magna est, ut purgantia in quantitate satis idoneâ haud retineat: enema igitur purgans in rectum infundi debet, et pro re nata repeti, ut purgantibus per os auxilietur.

Ex iis rebus, et ex diaeta tenui et parcâ, curatio Hepatitidis acutae constat, unum vel alterum ex iis pro re nata iterandum est.

DE CURATIONE HEPATITIDIS CHRONICAE.

In hac specie inflammatio utique obscura plus minusve semper existit, nisi fortasse evanuerit, postquam fabrica ita perdita sit, ut in scirrhum conversa fuerit. Itaque detractio sanguinis interdum utilis et necessaria est vel generalis vel localis. Si dolor hypochondrii dextri, aut sinistri, aut epigastrii multum fatiget, sanguis ex vena brachii mittendus est. Sin autem sit vix dolor, et molestia solum vexat, sanguis ex parte affecta hirudinibus, vel cucurbitulis cum ferro detrahendus est, et postea partes morsae vel sectae diu aqua calida bene fovendae sunt. Si abstractio sanguinis a medico judicata sit inutilis, emplastrum Cantharidis Vesicatoriae super partem laborantem impositum, et omni secunda hebdomade repetitum ad vicem usque octavam vel decimam, si opus fuerit, auxilium nobis

potentissimum praebet ad inflammationem minuendam.

Praeterea, Hydrargyrum ita exhibere oportet, ut effectus illi proprios in systemate excitare, atque tempore justo tenere possimus. Ventriculus saepe valde irritabilis est, et cibos et medicamenta rejicit. Bilis enim sursum vomitione interdum provocatur, eoque irritabilitati ejus multum increscit. Alvus admodum varia est, plerumque verò astricta, quae etiam irritabilitatem ventriculi magis auget. Cum contrà, diarrhoea cum torminibus et tenesmo adest; ante dejectiones tormina actionem retrogradam excitare videntur, quae ad ventriculum surgit, vomitumque movet. Propter consensum ventriculi igitur cum hepate morbido, propter bilem in ventriculo, propter obstipationem et tormina, ventriculus ipse plurimùm perturbatur, et functiones suas rite vix perficere valet. Itaque Hydrargyrum per os exhibere eam irritabilitatem ventriculi intendit. In hac conditione ejus multum me-

lius est Hydrargyrum in systema injicere per fricationem longam mane et vespere. Si unguenti Hydrargyri drachma, vel drachma cum semisse, bene in femora, imprimis vero in regionem hepatis, si parum doloris adsit, infricetur bis in die, intra paucos dies systema inficiet.

Cum ventriculus haud ita irritabilis est, pilula Hydrargyri caerulea mane et vespere exhibeatur, fricatione ungenti continuata, ad systema cito et penitus afficiendum. Si diarrhoea molesta sit, semigranum opii bis terve in die eam inhibebit.

Postquam Hydrargyrus ita exhibitus est, ut effectus suos in systemate teneat per menses duos, intermittatur, usque dum vires reficiantur, si opus erit; si non, continuetur cautè ad curationem usque.

Quum autem durities, seu scirrhus, tam magna est, quam hydrargyrus vix discutere queat; pulvis Conii Maculati foliorum ad

grana quinque, et gradatim auctus ad quindecim vel scrupulum, pro dosi mane et vespere plurimùm Hydrargyro auxiliatur in duritie mollienda. Interdum super partem induratam fonticulum extrorsum aperire setaceo utile est; vel ei emplastrum vesicatorium imponere, et saepe repetere, auxilio est bono.

Truncum corporis panno laneo circumdare, calidumque tenere, bonum et utile est ad curationem promovendam.

In utraque specie aegro a diaeta animali abstinendum est; farinaceam verò, atque ex fructibus confectam, omnibus stimulantibus evitatis, sumendum. In chronica, cum inflammatio magna ex parte debellata fuerit, cibus animalis facilis concoctu ad prandium, vires aegri reficiendi causâ, exhiberi potest.

Interdum quidem debilibus quibusdam diaeta animalis et nutriens, et vinum etiam in parva quantitate, prorsus necessaria sunt.

Intervallis Hydrargyri amara, et tonica, sicuti Colombam, Gentianam luteam, Quassiam, Cinchonam, Aristolochiam Serpentariam, cum commodo optimo dare possimus. Haec in variis formulis administrari possunt, ventriculo autem debili infusum eorum melius respondet.

Cum obstipatio praevalet, morbumque exasperat, brachia, vel pedes et crura immergere, aut lavare balneo acidi Nitro-Muriatici nuper a Doctore Scott, et aliis commendatum est, utilissimum repertum est alvo solvendae, facilique tenendae. Hujus utilitatem nos ipsi testari possumus.

Acidum Nitricum intrinsecus administratum est pro remedio Hepatitidis ad drachmam usque quotidie multa aqua dilutam : virtus ejus tamen in curatione efficienda, parva vel nulla est ; in progressu verum morbi tardando, magna ; quum Hydrargyrum exhibere haud expediat.

Postquam morbus remediis jam commendatis submotus est, vires aegri pristinas restituere oportet, usu aquae mineralis apud Bath, Cheltenham, aut Harrowgate, aut usu quotidiano mane tantae solutionis Sulphatis Magnesiae, vel Sulphatis Potassae cum Sulphure, quanta necessaria sit alvo ducendae.

Exercitatio lenis quoque sub divo pro viribus, et semper intra fatigationem, ad sanitatem pristinam plurimum confert, ideoque nunquam negligenda est.

Aestate commodum et utile erit in mare descendere, et corpus quotidie subito lavare.

FINIS.